

Montags den 9ten April 1838

Nachmittags von 2 Uhr an
mit der ersten Classe
der Herzoglichen großen Schule
anzustellenden.

Öffentlichen Prüfung

werden

ihre Vorgesetzten, Gönner und Freunde, nebst den Vätern
und Pflegern ihrer Schüler
geziemend eingeladen,

und

Nachrichten von dieser Anstalt

nebst

dem ersten Theile der
Abhandlung

des Collaborators *Dr. phil. Wetand*

De rebus Agrigentinarum

mitgetheilt

durch den Professor und Rector derselben.

M. Anton Friedrich Wilhelm Leiste

Wolfenbüttel im April 1838

D e

urbe, agro atque moribus Agrigentinarum.

Inter Pachynum et Lilybaeum promontoria ¹⁾ in australi Siciliae litore sita erat Agrigentinarum urbs. Quae cum a Graecis nominaretur *'Ακράγας*, Romani suo nomen ori aptum facientes dixerunt Agrigentum, ²⁾ unde recentiore tempore natum est nostrum urbis nomen Girgenti sive variantibus more incolarum vocabulis Gergenti ac Giorgenti ³⁾. Incolae urbis dicebantur *'Ακραγαντιῖνοι*, Agrigentini ⁴⁾. Nomen vero illud urbi a fluvio moenia eius praeterfluente inditum esse, ut consentiunt plerique ⁵⁾: ita non defuerunt, qui hoc quoque nomen explicare conarentur. Polybius enim apud Steph. Byz. *'Ακράγαντες* ⁶⁾ propter soli fertilitatem et fluvium et urbem accepisse nomen (*ἄκρα γῆς* praestantissima terra) memoriae prodidit. Atque Siciliae fertilitas cum saepissime laudibus elata sit ⁷⁾: quominus hoc quoque nomine celebratam putemus, nihil impedit. Soli enim circumiacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. Possis tamen etiam de altitudine regionis cogitare. Exstructa enim erat urbs

¹⁾ Pomp. Mel. II. 7.

²⁾ Plin. H. N. III. 8. 89. Eodem modo *Τάρας* in Tarentum a Latinis detortum est.

³⁾ Cluver. Sicil. ant. Lugd. Bat. 1619. p. 202.

⁴⁾ Steph. Byz. *'Ακράγαντες*, Cluver. l. 1.

⁵⁾ Thuc. VI. 4. schol. Pind. Ol. 16. Steph. Byz. l. 1. Duris apud Steph. ab Acragante, Jovis atque Asteropes, Oceani filiae, filio, urbem habuisse nomen contendit, quod e sacerdotum fabulis petatum esse apparet.

⁶⁾ cf. Spicil. reliqq. ex hist. Polyb. IX, 27. T. V. p. 37. Schweigh.

⁷⁾ cf. quos laudat Boeckh. Expl. Pind. p. 352.

in loco editissimo ¹⁾ circa MC pedes super maris superficiem eminente ²⁾ cincto tamen et ipso aliis collibus nequaquam humilioribus ³⁾).

Ipsius autem urbis situs is erat, ut neque munitius quidquam esse, neque commodius posset. ⁴⁾ Distabat enim a mari XVIII stadia, ut abunde ei sup- peterent commoda, quae mare solet afferre. Unde factum est, ut Ptolemaeus Geogr. Agrigentum ponat in mediterraneorum urbium numero, licet Plin. alii- que maritimam eam dicant ⁵⁾. Ambitu vero cum contineretur X mill. passuum in quinque collibus exstructa et natura, et hominum arte atque industria erat munitissima ⁶⁾, quoniam murus petrae altissimae atque praeruptae circa XXV cubitos altus e saxo quadrato superstructus, aliquot locis adeo ex ipsa rupe excisus erat ⁷⁾. Qua parte urbs ortum solis aestivum respiciebat, iaminebat arx, ab exteriori parte circumdata voragine inaccessa, ab altera venientibus ab urbe unum modo aditum praebens, eumque tam arctum, ut a trium quatuorve hominum praesidio defendi posset, duoque iumenta sibi obvia aegre commea- rent. Postea vero ad huius similitudinem alius aditus factus est ab orientali urbis parte. In summo arcis vertice templum erat Jovis Atabyrii atque Miner- vae, sed fallitur Cluverus hoc cacumen 'Αθηναίων λόφον nominatum esse tra- dens. Namque e Diod. XIII. 85 intelligitur, collem Athenaeum fuisse unum ex iis, qui circa urbem erant, unde Stolberg l. I. p. 459 ab hodierna urbe occi- dentem versus situm fuisse coniecit. Quippe veteris urbis arx sicut ipsa urbe antiquior erat, ut quae ab ipso Daedalo regi Cocalo exstructa esse dicatur ⁸⁾,

-
- 1) Virg. Aen. III. 703. c. Serv. et Donat. Pind. Pyth. XII. 2. fragm. Enc. 2. Emped. ap. Diog. La. VIII. 54.
- 2) Brydone. Reise durch Sic. u. Malta. Lips. 1777. Tom. II. p. 4.
- 3) Diod. XIII. 85. Seume. Spaziergang Op. ed. Lips. 12. Tom. II. p. 258.
- 4) Polyb. Reliqq. l. IX. 27. 7. cf. Cluver. p. 206 sqq.
- 5) Bentlej. Opusc. philol. p. 205. ed. Lips.
- 6) Stolberg. Reise in Deutschl. d. Schweiz, Ital. und Sicil. Lips. 1822. T. III. p. 467.
- 7) Brydone. II. Ep. 18. p. 7 sqq. Bartels. Briefe über Kalabr. u. Sicil. Gotting. 1792. Tom. III. p. 421.
- 8) Diod. IV. 78. Herodot. VII. 170. cf. Cluver. p. 207. De expeditione Minois et Cretum ad repetendum Daedalum suscepta cf. Diod. XVI. 9. Pluribus agit de ea Hoeck.

ita nostris temporibus tota urbs hoc tumultu continetur. Huc quo tempore quibusve auctoribus incolae transmigraverint, quamquam scriptum non accepimus, conicere tamen licet factum esse tum, quum diruta urbs instaurata est a Romanis. (546 a. u.) Atque hodierna quidem urbs quatuor milliaria Italica distans a mari¹⁾, cum loco editissimo sita sit, et purissimo aëre fruitur, et, domibus aliis super alias exstructis, peregre adveniēti magnificum praebet adspectum. At ea res intranti prorsus alia videtur. Conspiciuntur enim sordidae domus, viae limosae atque angustae, homines denique veterum Agrigentinarum nitorem parum referentes²⁾.

Cincta erat vetus Agrigentinarum urbs duobus fluviis, Acragante et Hypsa³⁾, quorum Polyb. tradidit Acraganta australe latus (νότιον πλευράν) praeterfluere, alteram partem, quae occidentem solem spectaret (τὴν ἐπὶ τὰς δύσεις καὶ τὸν λίβα τετραμμένην) alluere Hypsan. Quae verba non possum non iudicare corrupta. Neque enim νότιον πλευρᾶ recte opponi potest ἢ πρὸς δύσεις τετραμμένη, neque contrarii inter se νότος et λίψ, quoniam utraque vox eum ventum significat, quem Latini Africum sive Austrum dixere. Ita cum appareat, obscuris Polybii verbis hanc rem non illustrari, videndum est, quid iudicaverint recentiores VV. DD. qui in Sicilia itinera fecerunt. Ac consentiunt fere omnes, occidentalem urbis partem allui a fluvio, qui nunc ab accolis vocetur Fiume Drago sive Fiume de Gergenti, ab orientali autem parte ad III ferme millia passuum esse alterum, quem nominent hodie Fiume di Naro⁴⁾. Iam in medio inter utrumque conspicitur rivulus, qui mare inter et urbem cum flumine Drago coniunctus efficit, ut vetus urbs tanquam in peninsula sita sit. Quem Stolberg. quidem p. 468 Rucellum appellat, plerique tamen Fiume di San Biagio nominari perhibent. Horum igitur fluminum quisnam fuerit Acragas, disceptatur. Cluver. quidem Polybium secutus dicit eum, qui nunc vocetur Naro, Mannertus (Geogr.

Creta II. p. 374 et 381, qui anno MCCC a. Chr. factam esse docet. Exstant sub terra adhuc ingentes cellae arcuatae.

1) Brydone. I. I. p. 4. Seume. I. I. p. 261.

2) Bartels. III. p. 340, 366, 378. Kephallides Reise durch Ital. u. Sicil. I. p. 270. Paulo aliter Goethe. T. XXVIII. p. 161. ed. Stuttg. et Tub. 1828.

3) Polyb. IX. 27. Wessel. ad Diod. XIII. T. V. p. 612.

4) Cluver. p. 204. Stolberg. III. p. 467. Bartels. III. p. 403. Kephallid. I. p. 291. sq.

Graec. et Rom. IX. II. p. 354) rivum istum cum Drago coniunctum. Contra qui itinera narraverunt alii, Siculique fere omnes (Fazell. Amico, Pancrazi) ipsum Dragum Acraganta fuisse contendunt. Atque hi, si quid video, recte. Manerti enim Cluverique sententiae hoc refelluntur, quod duo fluvii, quos Acraganta Hypsamque fuisse dicunt, coniuncti in mare effunduntur. Cluver. adeo Ptolemaeum castigat, quod Hypsam suo ore in mare exire dixerit. Sed si res esset, ut illi volunt, non possem non mirari, id neque a Polybio, neque ab alio quocumque eorum, qui Agrigentinarum fluviorum mentionem faciunt, esse commemoratum. E quorum silentio, praesertim cum Ptol. disertis verbis contrarium doceat, iure colligitur, non uno ostio effundi. Ita si apparet, flumen Sancti Blasii non esse Acraganta, ne illud quidem stare opinor, quod Cluver. Dragum Hypsam, Acraganta Narum fuisse dicit. Namque non video, qui factum sit, ut conditores urbis peterent nomen a flumine remotiore potius, quam ab eo, qui ipsius urbis moenia lambit. Quae cum ita sint, sprete Polybii auctoritate, ut cuius verba corrupta videantur, equidem non dubito, quin Acragas fuerit is, qui ab occidentali parte urbis moenia praeterfluit, quique nunc vocatur Drago, is autem Hypsas, qui ab orientali latere III millia passuum remotus hodie Naro appellatur. Rivulus autem medius inter utrumque, qui a Cluvero pro Hypsa habitus esse videtur, quoniam tenuem Hypsam dicit, et Fiume di Naro sive di San Biagio perinde appellari, num antiquis temporibus non exstiterit, an mentione dignus non visus sit scriptoribus, dubium est. Bartels III. p. 403 natum esse credit e fossa, quam castris circumdederint Romani Agrigentum oppugnantes, quaque hibernis mensibus aqua defluerit. Quam sententiam non improbat Kepholid. p. 293.

Inter haec igitur flumina sita erat vetus Agrigentinarum urbs ita, ut maior quidem pars atque potior esset inter Acraganta et fluvium Sancti Blasii, pertinerent tamen muri usque ad Hypsam. Atque ea magnifica sui reliquit documenta in longum etiam tempus duratura. Quamquam enim aliquoties diruta est, nec templis quidem saevi hostes, praesertim Carthaginienses, pepercerunt, templis tamen saxo exstructis non tam hostium flamma nocuit, quam saeculorum series ipsiusque terrae motus. Namque cum mons, in quo urbs sita est, constet e concharum marinarum arena conglutinatarum colluvione, factum est id, quod Goethius observavit ¹⁾, ut templa inde exstructa nulla vi hostili, ipsa

¹⁾ It. Ital. Tom. XII. p. 62. ed. Tubing. 1808.

tempestatis iniuria collaberentur. Hodie vero ruinas segetes vinetaque obduxerunt laetissima. Unum modo templum integrum servatum est, quod Concordiae fuisse dicitur ratione nulla idonea ¹⁾. Quod cum in Divi Gregorii, episcopi olim Agrigentini, aedem conversum sit, nulla prolapsa columna integrum, excepto tamen tecto, ad nostra usque tempora exstat. Ex inscriptione ibi reperta ²⁾ collegerunt, esse sumtibus Lilybaetanorum exstructum, bello videlicet superatorum. At inscriptionem Romanam nihil probare de templo, quod conditum sit temporibus, quibus parvae Romae nomen Agrigenti vix notum fuerit, recte observavit Stolberg. III. p. 460. Restat etiam sepulcrum, quod dicunt Theronis, tyranni Agrigentini, de coelo factum, cum urbs oppugnabatur a Carthaginiensibus ³⁾. Hoc num sit verum Theronis sepulcrum, necne, dubitatur a recentioribus scriptoribus, et quia nullum fulminis vestigium relictum, et quod Ionicis columnis ornatum sit ⁴⁾. Hac ipsa re refellitur id quoque, quod nonnulli voluerunt, esse monumentum in honorem Phalaridei cuiusdam equi exstructum, (erant quidem Agrigenti plures equorum tumuli) sed obstat vel id, quod Agrigentinis deiecta Phalaridis tyrannide monumentum perosissimi tyranni memoriam revocans servasse parum verisimile est.

Inter ingentes autem veteris urbis ruinas primum respicimus Olympii Jovis templum, maximum illud omnium Siciliensium, et nunquam licet perfectum, vel sic admiratione dignissimum ⁵⁾. Longitudine CCCXL pedum porrectum erat, ad LX (vel CLX secundum alios) latitudinem patebat, ad CXX altitudinem, fundamento tamen excepto, elatum. In orientali porticum parte Gigantomachia erat, caelatura et elegantia excellens, in occidentali Troiae expugnatio tanta arte efficta, ut heroum unusquisque ad habitus sui formam esset elaboratus. Quamquam igitur hoc templum erat ingentis neque magnitudinis, neque altitudinis, cum a plerisque nostris aedibus sacris superetur, erat tamen, quod

1) Teste Muellero *Handb. d. Archäol.* p. 57.

2) quae est apud Bartels. III. p. 428.

3) Diod. Sic. XIII. 86.

4) Stolb. p. 461. Muell. Arch. p. 88. Non dubitant Brydon. Goeth. *Pernegat* Bartels. III. p. 419.

5) Polyb. IX. 27. 7. Diod. Sic. XIII. 82. Cf. quos laudant Muell. Arch. p. 87. et Hermann. *Griech. Staatsalterth.* p. 160.

veterum scriptorum, qui de eo narraverunt, summam admirationem moveret, quodque etiam nunc demonstret, nimios illos non fuisse. Columnae enim parietibus insertae, qua parte exstabant, XX pedes habebant, canaliculis sive sulcis tantis undecim vel duodecim incisus, ut in singulos corpus humanum inserere se posset ¹⁾. Intrinsecus XII pedes continebant. Integra aedes cum stetisset usque ad annum MC p. Chr. n. anno MCCCCI in extremas ruinas abiit²⁾. Nunc insanarum molium cumulus, ficis et amygdalis intersitis, servat etiam antiquae magnitudinis memoriam nomine palatii sive templi Gigantum, fortasse quod Gigantum summis olim columnis impositorum reliquiae circumiacent.

Reliqua fere templa secundum anstralem urbis murum sita erant, videlicet quo fortius cives pugnarent, pro deorum immortalium aris decertantes. Eadem de causa videri possent muris saxoque iis subiecto inserta esse sepulcra columbarium instar, ut, ubi fortiter pugnantibus cecidissent, ibi conditi manerent, nisi iis, quae Bartels. III. p. 422 protulit, a Carthaginiensibus aliquamdiu urbe potitis, repetendam esse eorum originem demonstraretur. Inter haec igitur templa, quae quominus é longinquo conspicerentur, ipse murus prohibuit, Jovis aedem ad occidentem maxime sitam, excepit fanum Herculis, in rupe non longe a foro situm, sanctum atque religiosum, nunc vero penitus disiectum ³⁾. Praeter hoc nihil traditum est de foro Agrigenti, (id quod mirum videri potest) nisi quod saxa nonnulla quadrata indicare putantur illum locum, qui exiguus non potest non fuisse, quoniam planus campus maior nusquam reperitur ⁴⁾. In Herculis templo et pulcherrimum simulacrum dei ex aere erat, a Carthaginiensibus ablatum post expugnatam urbem, restitutum a Scipione, quod quominus Verres nocturno impetu tolleret, concursu universae civitatis prohibitus est, et clarissimum Zenxidis opus, quod Agrigentinis donasse dicitur, Hercules infans dracones strangulans, Alcmena matre coram pavente et Amphitryone ⁵⁾. Jam sequitur templum quod dicitur Concordiae, de quo antea monuimus, postque hoc aedes

¹⁾ Stolberg. III. p. 463. Goethe. p. 166. Bartels. III. p. 415. Kepholid. I. p. 280 sqq.

²⁾ Fazell. I. VI. 1. Brydone. II. p. 7. sqq.

³⁾ Cic. Verr. IV. 43.

⁴⁾ Kepholid. I. p. 283. Bartels. III. p. 423.

⁵⁾ Plin. H. N. XXXV. 36. 2.

Junonis Lucinae, cuius pulcherrimae adhuc exstant ruinae ¹⁾, at Mueller. Arch. p. 57 hoc quoque nomen temere inditum esse contendit. Ea quoque insignis erat tabula Zeuxidis, quam cum facturus esset, inspexisse dicitur virgines Agrigentinarum, ut quod in quaque laudatissimum esset, pictura redderet ²⁾. Quae res ut per se est parum similis veri, siquidem cadit in artis rudem atque tiro-nem potius, quam in eum, qui ex perfecta quadam specie animo concepta simu-lacrum fingit, ita nullam fidem habet, quod eadem narrantur de Crotoniatis ³⁾. Restant praeterea ruinae fanorum Veneris, Vulcani, Proserpinae, Castoris atque Pollucis, Aesculapii denique, partim intra, partim extra muros Agrigentinos sita. Atque in Aesculapii quidem templo, cuius rudera admodum dubia inter sepul-cra pro moenibus ⁴⁾ monstrantur, signum erat Apollinis pulcherrimam, cuius in femine nomen Myronis erat inscriptum, et ipsum Carthagine Agrigentinis a Scipione restitutum, sublatum a Verre.

Sed supersunt alia etiam antiquorum Agrigentinarum opulentiae monumen-ta. Carthaginiensibus a Gelone atque Therone victis, quam captivorum ma-gnus numerus evenisset victoribus, praesertim Agrigentinis, utpote in quorum finibus plerique eorum, qui cuedem effugerant, essent intercepti: Agrigentini eorum servitio usi sunt ad communiendas cloacas subterraneas, quibus aquae ex urbe deducerentur, magnitudine insignes. Plerique enim canales, rupe ex-cisi, tam alti erant, ut vir permeare posset. Cui operi quam praefuisset Phaeax quidam magnamque ea re gratiam apud cives iniisset, factum est, ut in eius honorem canales subterranei nominarentur Phaeaces ⁵⁾. Quorum vestigia ani-madvertere sibi visi sunt et Stolberg. et Bartels. III. p. 412. Deinde captivi isti ad fodiendum lacum extra urbem coacti sunt, ambitu septem stadiorum, profunditate cubitorum XX. In quem cum et fluvios et fontes perduxissent, piscinam effecerunt et utilissimam et iucundissimam adspectu, cum etiam cy-gnorum aliarumque avium ingens multitudo sedem in ea quaerent ⁶⁾. Sed po-

1) Kepholid. p. 276. Stolberg. III. p. 459 sqq.

2) Plin. I. 1.

3) Cic. de Inv. II. 1.

4) Polyb. I. 18. Bartels. III. p. 420.

5) Diod. Sic. XI. 25.

6) Diod. XI. 25. XIII. 82. Athen. XII. p. 541. F.

steriore tempore neglecta cum Diodori iam aetate limo expleta esset, hodie, ubi fuerit, paene ignoratur.

Inde ab australi urbis muro usque ad mare porrigitur planitia, in qua castra et Carthaginensium et Romanorum moenia oppugnantium posita erant, quae ideo adhuc campi Romani servat nomen. Ad Acragantis fluvii ostium ἐμπόριον Agrigentinarum erat ¹⁾, quod Strabonis tempore incolis frequens, nunc quoque navibus mercatoriis statio est, etsi non admodum tuta. Circa litus ut antiquarum porticum saxorumque quadratorum vestigia relicta testatur Fazellus I. VI. 1: ita hodie quoque multae concamerationes subterraneae exstructae sunt ad asservandum frumentum, cuius magna copia inde exportatur²⁾. Tuto autem portu cum carerent Agrigentini, quoniam neque Acragas neque Hypsas ad constituendum portum idonei erant, classibus nunquam valuerunt. — Porro in Agrigentinarum agro res nonnullas memorabiles atque miras fuisse accepimus ab antiquis scriptoribus Inter quas primum facile locum obtinet bituminis quoddam genus, quod Siculum oleum per errorem nominaverunt, fontibus duobus in dextra Acragantis ripa innatans arundinumque comis adhaerescens. Quo et ad lucernarum lumina utebantur, et ad curandos varios hominum pecorumque morbos ³⁾. Deinde lacus erant circa Agrigentum, marinae aquae gustum quidem habentes, nec vero naturam; num qui natare nesciunt, non mergi dicuntur, sed lignorum instar supernatare ⁴⁾. Ac memorari eos etiam ab Aristotele, sed ubi sint, nescire se fatetur Fazell. I. VI. 1. Etiam sal Agrigentinus diversam a reliquo sale naturam habet. Ignium enim patiens exsilit ex aqua; atque ea res etiam nunc durat ⁵⁾. Cetera salinarum metalla in vicinia Agrigenti cautium vice funguntur, quippe e quibus excidantur deorum hominumque simulacra. Ibi et

¹⁾ Strabo VI. p. 272. A. cf. Cluver. p. 209.

²⁾ Stolberg. III. 435. De his cellis penariis, quae Carricatori nominantur, earumque institutione dixit Bartels. II. p. 161 sqq.

³⁾ Dioscor. I. 100. Plin. H. N. XXXV. c. 51. Solin. c. 11. Athen. II. p. 42. E. Aristot. Met. II. 3. Cluver. p. 369. Hodie quoque morbis mederi existimatur teste Brydon. II. Ep. XIX. p. 18. Kephala. I. p. 234.

⁴⁾ Strabo. VI. p. 275. A.

⁵⁾ Plin. H. N. XXXI. 41. Solin. Polyh. 11. Brydon. l. 1. p. 40. Augustin. de civ. dei XXI. 5 et 7.

ager est singulis fere lustris limosas scaturigines praemisso fragore maximo evomens ¹⁾, et fons, cuius aqua marmoris instar lapidescit ²⁾).

Ager Agrigentinus quam late patuerit, incertum est, quoniam et quae de ea re scriptores tradidere, pauca sunt, et fines non iidem semper manserunt. Pertinuerunt ad eum saltem aliquamdiu duo castella ad Himeram flumen sita, Ecnomus et Phalarium, communita a Phalaride tyranno, in quorum priore taurus iste Phalarideus positus nominisque causa fuisse dicitur. Utrumque ab Agathocle, Syracusarum tyranno, occupatum est ³⁾. In agro Agrigentino sita erat porro Heraclea, quae vocabatur Minea, ad ostium Halyci, quae dicitur aut condita esse ab ipso Minoë vel Cretibus ultionem propter eius caedem repetentibus, aut occupata saltem nomen accepisse, cum prius Macara nuncuparetur ⁴⁾. Verum tamen docere videtur Herodot. (V. 43 et 46) narrans Minoam Selinuntiorum coloniam fuisse, occupatam vero a Spartanis, qui Dorieo duce patria egressi erant circa Ol. 68. Attamen ne sic quidem diu libertatem servavit, sed iam ante Gelonem, Syracusarum tyrannum, expugnata a Carthaginiensibus in eorum ditione remansit ⁵⁾. Agrigentinum denique castellum erat Motyum ⁶⁾, quamquam ubi situm fuerit, non liquere contendit Cluver. p. 373. Operae tamen pretium videtur monere, non confundendum esse Motyum, Agrigentinum castellum, cum Motye, frequentissima Phoenicum civitate ad Pachynum promontorium ⁷⁾, quia nominis similitudine in errorem induci se passus est Mitford. Hist. Gr. II. p. 277. ed. Eichstaedt. —

Sequitur, ut disputem nonnulla de *moribus institutisque* Agrigentinum. Fuisse eorum civitatem et divitissimam et monumentis publicis ornatissimam, una est atque consentiens veterum scriptorum sententia ⁸⁾. Quamquam enim ea,

¹⁾ Solin. I. I. Fazell. Cluver. p. 371. Bartels. III. p. 481. sqq. Kephelid. I. p. 268.

²⁾ Fazell. I. I. p. 261.

³⁾ Diod. XIX. 108 et 109. Plutarch. Dion. XXVI.

⁴⁾ Diod. IV. 78 et 79. XVI. 9. Heracl. Pont. Resp. Minoorum cf. Hoeck. Creta II. p. 273. Aristot. Pol. II. VII. p. 60. ed. Goettl.

⁵⁾ Mannert. Geogr. Gr. et Rom. IX. II. p. 364. sqq.

⁶⁾ Diod. XI. 91.

⁷⁾ Pausan. V. 25. 2. Philist. fragm. 24. ed. Goeller.

⁸⁾ Ut alios mittam Polyb. IX. 27. schol. Pind. Pyth. VI. 1. cf. Meier. Geschichte der bildenden Künste bei d. Gr. I. p. 257. Wachsmuth. Ant. Gr. IV. p. 344.

quae Diod. de privatarum domorum amplitudine narravit, e studio patriam insulam celebrandi nata sunt: publicae tamen magnificentiae satis multa documenta sunt servata. Templorum et multitudine et splendore Agrigentum nulli Graecarum civitatum cedere, apparet ex iis, quae antea disputata sunt. Augebatur amplitudo urbis etiam sepulcrorum magnificentia, quae non hominibus solum exstruebantur, sed etiam equis, qui in certaminibus victoriam reportassent, et aviculis a pueris puellisve in cavea nutritis, quae ad suam usque aetatem servata esse Timaeus dicit ¹⁾. Incredibilem singulorum civium opulentiam fuisse, sunt quae ostendant. Antisthenes, cui Rhodo cognomen erat, filiae nuptias adornans omnibus frequentissimae tunc urbis civibus tantum convivium singulis in vicis apparavit. Pompa vero nuptialis, quam plus octingenti currus omnesque et patriae urbis et vicinorum oppidorum equites comitabantur, quum innumeris facibus praelatis deduceretur, tota urbs undique ignibus relaxit, lignorum struibus per omnes vicos eodem ubique momento accensis ²⁾. Idem, non alienum videtur docere, qua humanitate et aequitate fuerit erga cives. Nam cum agrum conterminum, quem parare gestiebat filius, vendere nollet dominus, dixit curandum esse, ut homo ille ditior fieret, tum maioris agri cupidum ultro venditurum esse suum. Unus tamen omnium maxime divitiis floruit Gellias ³⁾, qui, cum Carthaginenses urbem expugnarent, excedere ex urbe cum civibus nolens in templo Minervae in arce, quo confugerat, incenso fano se cum omnibus donis divitiisque combussit. Is igitur pro insigni, qua erat, hospitalitate, ad portas urbis servos constituit, qui quoscunque hospites vidissent, ad hospi-

¹⁾ Diod. XIII. 82. cf. Timae fragm. 271. Goeller. Plin. H. N. VIII. 42.

²⁾ Diod. XIII. 84.

³⁾ Diod. XIII. 83. Valer. Max. IV. 8. ext. 2. Athen. I. p. 4. A. Eustath. p. 1471, 57.

Suid. s. v. Ἀθηναῖος et Τελλίας. P. Leop. Emend. XII, 15.

tium domum suam devocarent. Cuius exemplum cum alii etiam cives sequerentur, factum est, ut Agrigentinos benignae hospitalitatis laude florentes Empedocles philosophus appellaret sanctos hospitem portus ¹⁾. Praeterea de Gellia sic scriptum accepimus, cum aliquando quingenti Gelensium equites hiberna tempestate Agrigentum divertissent, hos omnes hospitio liberali eum excepisse singulisque chlamydas tunicasque ex arcis depromptas donavisse ²⁾. In cella eius vinaria erant trecenta dolia ex ipso saxo excisa, quorum unumquodque centenas amphoras cepit. Idem, etsi humili exilique specie fuisse traditur, ingenio tamen acerrimo erat. Namque cum legatus mitteretur a civibus ad Centuripinos ibique ad populum prodiret, importunus risus obortus est, quoniam hominem exspectatione multo inferiorem conspexerunt. At ille vultu nihil mutato, non mirum, inquit; popularibus enim morem esse, ut ad illustres civitates praestantissimos viros mitterent, ad humiles imbecillasque sui similes. Etiam civibus suis munificus pauperibus in annonae caritate subsidia praebebat, virginibus paupertate pressis dotes erogabat, edebat denique gratissima populi oculis spectacula. Porro Exaenetum Agrigentinum, qui Olympiae vicerat Ol. 81, redeuntem in patriam prosoquebantur bigae trecentae candidis equis omnes Agrigentinae ³⁾.

In universum gloriae e ludicris certaminibus reportandae studuerunt quam maxime, ut Pindarus Midae Agrigentino victoriam Pythicam Pyth. 24 vel 25 tibia assa ⁴⁾ reportatam gratulans iam ante Theronis tyranni tempora urbem dicat *Φιλάλαρον, καλλίσταν βροτῶν πολλῶν* ⁵⁾. Pertinet ad hoc studium etiam id,

¹⁾ Diod. I. I. Quam laudem servaverunt hodierni Agrigentini, cf. Brydon. T. II. Ep. 18. Stolberg. III. p. 469.

²⁾ Timaei fragm. XXIX. ed. Goeller.

³⁾ Diod. XII. 82. XIII. 83.

⁴⁾ *ψιλῆ ἀύλασι* cf. Boeckh. Expl. Pind. p. 343.

⁵⁾ Pyth. XII. init. Carmen scriptum Ol. 71, 3 vel 72, 3.

quod Agrigentini equorum alendorum amantissimi fuerunt. Omnino Sicilia pro soli natura rei equestri multo magis favebat, quam patria Graecia, ideoque militia equestris antiquitus erat honoratissima. Siculos autem inter equos principatum tributum esse Agrigentinis propter pulchritudinem ac pernicitatem, intelligitur ex eo, quod cum in Cappadocia greges equorum periissent, responso Delphici Apollinis equis admissariis Agrigento adductis reparati sunt ¹⁾. Sed fortasse etiam magis praestantiam eorum imagines in caelatis operibus probant, quorum nonnulla ad nostra usque tempora servata sunt ²⁾.

Quae cum ita sint, non mirum est luxuriam atque mollitiem apud Agrigentinos fuisse maximam et a prisca Doricorum morum severitate prorsus eos degenerasse. Puerorum enim disciplina erat delicatissima, vestitumque molissimum aurumque gestare et ex auro argentoque strigiles lecythosque habere consueverunt, eburneis lectis utentes in conviviis ³⁾. Quid quod tanto luxu Agrigentini diffluebant, ut, cum urbs a Carthaginiensibus obsideretur, publico decreto sciscerent, ne quis eorum, qui excubias agerent, plus quam culcitram, stragulam, gausape laneum et duo cervicalia haberet ⁴⁾. Dissolutam porro luxuriam civium ipso nomine domus quaedam notabat. Appellabatur enim *triremis* hac de causa ⁵⁾. Iuvenes in hac comissantes eo processerunt ebrietatis, ut navi vehi procellaque iactari vehementissima rati, vasa omnia et stragula in publicum quasi in mare eiicerent navigium exoneraturi. Postridie etiam aucta ebrietate cum disciplinae publicae praefecti accederent, excusaverunt illi, quod ingruente tempestate coacti supervacua onera de navi deiecissent. Magistratus autem

¹⁾ Virg. Aen. III. 703. cum annot. Serv. et Pomp. Sab. Sil. Ital. XIV. 208. Fazell. Res Sic. I. VI. I.

²⁾ Brydon. l. l. T. II. Ep. 19. p. 20.

³⁾ Diod. XIII. 83. Timae. ap. Aelian. V. H. XII. 29. cf. Goeller. Tim. fragm. p. 271.

⁴⁾ Diod. XIII. 84.

⁵⁾ Timae. ap. Athen. II. p. 37. B. cf. Goeller. p. 271.

cum admirarentur, unus ex illis commissatoribus, quamvis provector iam aetate, Tritones esse arbitratus, gratiam se iis habere, quod propitii apparuissent, et si tanto e periculo servati portum attigissent, marinis diis fanum deberi pronuntiavit. Ita dictum illud sive Platonis, sive Empedoclis, Agrigentinos deliciis quotidie ita se dare, ac si crastino die morituri sint, domos vero aedificare, quasi aeternum victuri, magnopere habet, quae se commendat ¹⁾.

Neque omittendum videtur eiusdem Empedoclis erga cives beneficium, quod cum aliquando venti tam graves flarent, ut segetibus nocerent, pestemque adducerent atque uxoribus essent sterilitatis causa, sedasse eos artificio dicitur ita, ut montis fauces, per quas Auster in campos ingruebat, obstrueret²⁾. Ita narant rem etiam Plutarch. adv. Col. T. X. p. 628 et de Curios. T. VIII. p. 47. Reiske. Quibus Clem. Alex. Strom. VI. p. 630. C. philosophum inde *καλυσάνεμον* cognominatum esse addit. Ridiculam vero fabulam, quam Suidas s. v. *Ἀμύκλαι*, *Ἐμπεδοκλῆς* et *Ἄπρους* protulit, quaque nihil ineptius fingi potest, Empedoclem sedasse pestem mactatis compluribus asinis et eorum pellibus urbi circumdatis, inde natam esse, quod pro *διασφᾶγας ὄρους* perperam lectum sit *διασφᾶζας ὄρους*, alii monuerunt cf. Goeller. Timae. fragm. p. 235.

In tanta autem tamque opulenta urbe, cui secundum a Syracusis locum inter Siculas civitates assignare nemo dubitavit, non inutile videtur percontari, quot homines habitaverint. Ac discrepant, ut fit in tali re, mirum quantum veteres scriptores. Diog. La. VIII. 63 numerat octingenta millia; secutus auctoritatem mulieris cuiusdam, Potamillae, sed officit maxime, quod ipsi Menagio ignotissima omnium feminarum haec femina. Contra Diod. Sic. XIII. 84 testatur, florentissimis temporibus vixisse ibi plus viginti millia, adiunctis

¹⁾ Platoni adscribit Timae. ap. Aelian. V. H. II. 29, cf. Tim. fragm. 77. Goeller. Empedocli Diog. La. VIII. 63. Similia dicta aliorum de aliis collegit Menag. ad Diog. La. I. 1.

²⁾ Menag. ad Diog. La. VIII. 60. — Plin. H. N. XXXVI, 69. de ignis suffitu narrat.

vero peregrinis non minus ducentis millibus. Sed in hac ratione cum servos non ductos esse pateat, si comparaveris ea, quae apud Athen. VI. p. 272. C. sunt de numero civium servorumque, qui Athenis erant aliisque in civitatibus, Diogenis numerum vero non multo maiorem videri facile intelliges, praesertim cum Agrigentini opibus affluentes Atheniensibus etiam plures servos aluisse facile credantur. Urbem vero a Carthaginiensibus dirutam ad priorem frequentiam incolarum non rediisse, apparet inde, quod anno CCLXII. a. Chr. quinquaginta tantum millia hominum in ea reperta esse, a bono auctore scriptum accepimus ¹⁾.

Atque haec multitudo ingens victum faciebat e colendo agro, ut par est, feracissimo distrahendisque iis, quae inde efficiebantur. Inprimis autem vineis olivetisque magnitudine atque pulchritudine insignibus operam dabant, atque vinum oleumque in Africam, potissimum Carthaginem, ubi temporibus illis utrumque defecit, exportantes eiusque terrae opulentiam reducentes, incredibiles opes paraverunt ²⁾. Oleo Agrigentino nunc quoque suus manet honos ³⁾. In nummis vero, quibus mercaturam faciebant, conspiciuntur pagurus et aquila vel stans, vel pisces, leporem, serpentem columbamve discerpens, ut in eo, quo Silanus, magistratus Agrigentinus comparet, et in altera parte Victoria incitis quadrigis posita. Pagurum suaserit maris vicinia. Infra hunc varia sigilla conspiciuntur, plerumque mare spectantia, ut monstrum muliebre marinum, Triton, equus marinus, pisces varii generis. Quotquot servati sunt, ut plerique Siculo nummi, praecipuam procudendi artem fuisse demonstrant. Ponderis autem sive pretium globulis, qui saepe areae inserti sunt, nunquam tamen plus sex, creditur esse enuntiatum ⁴⁾.

¹⁾ Polyb. I. 18. 7.

²⁾ Diod. XIII. 81. Sickler. Geogr. ant. I. p. 442.

³⁾ Stolberg. l. l. IV. p. 282.

⁴⁾ Eckhel. D. N. P. I. I. p. 192 sq. Meier. Gesch. d. bildenden Künste b. d. Gr. I. p. 257.

Faint, illegible text in the upper left section of the page.

Main body of faint, illegible text on the left side of the page.

Faint, illegible text in the upper right section of the page.

Main body of faint, illegible text on the right side of the page.

A short line of faint, illegible text centered at the bottom of the page.

